DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

VACCINIA

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, QUÆDAM DE VACCINIA COMPLECTENS;

QUÆ,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS THOMSON,

Scotus.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

SPECTATISSIMO

DAVIDI LAIRD,

DE BALORNOCK,

ARMIGERO,

VIRTUTE, PROBITATE, ET MORUM SUAVITATE

CONSPICUO,

HOC TENTAMEN,

ANIMI GRATI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

CONSECRAT

GULIELMUS THOMSON.

ILLUSTRISSIMO

ALEXANDRO MONRO *TERTIO,*

M. D. F. R. S. E.

&c. &c. &c.

IN HAC ALMA ACADEMIA

PROFESSORI DIGNISSIMO;

VIRO

BENIGNITATE, ET MORUM URBANITATE,

OMNIQUE VIRTUTE

ORNATO;

PROPTER AMICITIAM ET PRÆCEPTA

QUIBUS IPSUM DIGNATUS EST,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

GULIELMUS THOMSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

VACCINIA

COMPLECTENS.

PRÆFANDA.

INTER valetudinis adversæ genera plurima, cum auctiora, tum quoque vetustiora, quæ plura hominum millia, ociori aut lentiori morte, quotannis multare solent, ullum omnino terribilius, ullum luctuosius ignoro, excepta equidem phthisi pulmonali, quam istud exitiosissimum,

quod Variola apud Medicos nominari consuevit. Ex quo sane pestilens iste morbus initio prodierit, necem undique, et quam latissime nusquam et nunquam non diffudit, agros et civitates unico quasi ictu admoto, populatus: dum tandem, seculo decimo octavo pene finito, Deus Optimus Maximus effecerit, ut Jennero præclaro in mentem veniret, remedium excogitare, huic pesti crudeli fugandæ, et radicitus divellendæ, accommodatum. Quo melius et clarius perspiciamus, quanti hoc, vacciniam scilicet, æstimari oporteat, nôsse juvabit variolam olim nonnunquam hominum quadraginta millia intra unicum annum enecuisse; qui vero eadem correpti non succubuerint, eos aut exinde in alia mala funesta incidisse, quibus vacassent, ni prius ista laborâssent; aut cæcos esse factos; aut certe natura pulchros, et forma nitida beatos quoad vultum, fœdos et deturpatos reliquam vitæ partem esse factos.

Jennerus immortalis non primus omnium comperit virus vaccinum, corpori humano insitum, facere ut contages variolæ genitrix impune idem subeat: laus tamen perinsignis ei

debetur, qui proculdubio primus hunc modum istius morbi pestilentis arcendi adhibuerit. Quicunque, aut novis inventis, aut cognitis in usum novum accommodatis, reipublicæ benefecerint, et seipsos decoraverint, semper invidiam et odium sibi adsciverunt. Permulti ideo vacciniam extemplo vituperare cœperunt, quidam invidi, alii increduli, alii, quod valde suspicor, metuentes ne lucrum variola curata paratum obsumatur. Nemini tamen dubitare nunc demum licet, quin Senatus Britannicus jure optimo JENNERO præmium donaverit; si animo volvat, quantula hominum multitudo hodiernis temporibus, et quam leviter, ea peste implicitur, quæ ante annum MDCCXCVII: unumquemque fere invaserit, eorumque correptorum partem circiter sextam occiderit*. Quinetiam, si secum reputet, complures imperitos virus vaccinum corporibus humanis inserere; eosdem porro modo hoc spurio, dotisve propriæ experte, uti; modo virus ipsum bonum et inte-

* Vide Dr MONRO's Observations on Small Pox.

gerrimum non rite admovere; alias porro, partem, cui inseritur unicam, non totum corpus, viri actionem subire (quod si ita se habeat variola non præcavetur) nequaquam perpaucis exemplis hujus morbi vacciniam, uti appareat, secuti falletur; sed exfacili judicabit, corpus semel vaccinia rite tempestivè, et penitus imbutum, variolæ quotiescunque contages hujus nutrix auras, quas cum spiritu capiat, inquinet, arteve ei indatur, immune esse permansurum; aut, si forte fuerit correptum in longe saltem mitiore morbo esse versaturum *.

Quod ad ortum viri vaccini, iis assentior, qui contendunt, non ubera vaccarum, sed calces equinas esse fontem, unde principio venerit: humorem scilicet vitiosum, ab his morbo Anglice "*Grease*" dicto vexatis effluere; qui ad illa translatus vesiculas viro variolam deleturo gignit. Constat enim, in agro Glocestriensi, aliisque quibusdam provinciis Anglicanis, agasones

---

* Vide quæ hac super re, Cel. MONRO nuper in lucem prodiit.

non ancellas, ut alicubi, ubera vaccarum emulgere solitos esse: horumque manus equina sanie jam relata pollutas, cum uberibus eam postea communicare. Hinc ubera vaccarum, quas mulieres solæ curare et emulgere consuerunt, vesiculas, de quibus dixi nunquam exhibent, id quod permulti medici usu comprobarunt: nec ipse unicum exemplum hujusmodi, rem sedulo perscrutatus, reperire potui. Istæ igitur vesiculæ vaccinæ provinciarum propriæ sunt, quibus iidem equos et vaccas curare solent.

Loius, medicus spectatus Aislabensis, experimentis institutis hanc tabi vaccini originem satis monstravit: quinetiam duplicis ese generis equinum malum, quod vernacule "Grease" appellatur; unum scilicet, quod calcem pedis unicè adoritur; alterum, quod, calce quoque exulcerata, toti corpori incumbit, et valetudinem quasi corrumpit. Hujus non illius est tabum propositum procreare.

Calx imflammatus intumescit; decemque diebus exactis, laticem acerrimum et tenuem excernit; qui uberibus vaccarum arte insitus vesiculam sui similem parit. Si deinde humor vesi-

culæ, quæ ubera vaccarum male habet, inclusus corpori humano inseritur omnes notas progignit morbi "Vaccinia" dicti. Quod si tabum pestilens, quod variolam parit, deinde eidem corpori admoveatur, aut arte aut natura molienti, non aut rarissime saltem hominem inquinabit; et insitum partem ipsam cui adhibetur unicam irritabit, valetudine prorsus illæsa et integra.

QUÆDAM DE VIRI VACCINI ACTIONE.

Satis jam innotuerit vacciniam non esse pestilentem, instar febrium, variolæ, rubeolæ, &c.; id est, nihil e corpore vaccinia impliciti exhalari, quod ad aliud translatum eam renovari possit; sed vacciniam non nisi humore vesiculæ proprio insito nasci et disseminari. Corpus humanum, ob aliquam proprietatem, nempe indolem torpidam, aut genus absorbens aut nervosum pigrius, non semper contagii admoti accipiendi potens est; quo fit, ut virus vaccinum parti, uti irritamento, adesse possit, nec simul

totum corpus inficiat, aut valetudinem lædat: vel fieri potest, ut quivis alius morbus, scilicet rubeola, dentitio, propositum virus corpus subire, et solitam actionem ostendere, non sinat. Si enim hi morbi, aut alia irritamenta ejusmodi ultra id temporis perstent, quo vesicula vaccina maturata prodierit virus non resorbebitur; et vesicula affectus erit partis ipius proprius; neque homo variolæ in futurum immunis fiet. Vesicula ea citius seriusve maturabitur, prout corporis indolens variet, eave irritamenta, de quibus dixi levius aut gravius urgeant: quod si hæc prius conquiescant, quam vesicula integritatem attigerit; proximum est, ut virus hac inclusum protinus absorptum per singulas partes corporis fundatur; morbusque pariatur, id corpus a contage variolæ genitrice quandocunque et quomodocunque adhibeatur defensurus. Optime igitur BRYCEUS notavit, tabum vaccinum rite insitum, vel malum partis quæ idem acceperit, solius inferre, vel valetudinem afficere, id est universum hominem polluere, posse: quinetiam vesiculam utrinque prorsus eandem esse; istamque, quæ, valetudine non infecta,

apparet, virus includere, vacciniæ integerrimæ excitandæ, si alii cuivis inseratur, habilissimum. Quod memoratu, et cognitu dignissimum existimo. Quidam igitur, ex causis ante relatis, aliisve minus compertis, eo sunt segnes et lenti, ut nulla arte vaccino viro penitus imbui possint; haud secus atque alii sint, variola nequaquam inficiendi. Scire itaque licet, tabum, de quo agimus, instar aliorum, quæ inoculari soleant, a vasis lymphaticis absorberi; vesiculam propriam procreare; deinde illico via jam dicta per omnes corporis partes transfundi: nec vero, uti quædam alio, unquam subtili et aëria forma instructum e cute aut pulmone vaccinia affecti excerni: ideoque hanc pestilentem, id est, contagiosam non esse.

DE VIRI VACCINI ADIPISCENDI RATIONIBUS.

Summi interest, ut virus tempore idoneo e vesicula deducatur; deductumque rite conservetur, conservatum denique a perito inseratur,

Vesicula jam maturata scilicet, die circiter septimo, octavo, aut nono, accerrimum, et, quod inoculetur, aptissimum esse judicatur. Quod tamen non nisi de vaccinia signis abnormibus experte prædicandum. Cuticulam, acu vel scalpello præacuto, leviter pungere oportet; incisuris quatuor aut quinque perexiguis factis: paulo postea latex tenuis per hiatum illum multiplicem manare conspicitur: qui est virus optimum et integerrimum. Si intra horas duodecim eo sit utendum, satis erit ut apici scalpelli interim adhæreat. Quod si conservandum sit, alia ratione opus erit; quam celerrime enim ferrum, et virus si invicem actione chemica mutant, illud rubigine obscuratur, hoc deletur et resolvitur. Efficere oportet, imprimis, ut immutatum, et sincerum, aliquandiu servari possit: dein, ut aëri circumfluo non patescat. Ad illud moliendum, virus jam acceptum perflatui egelido et sicco objici debebit. Ad hoc exsequendum, virus tabulæ vitreæ impositum, primo sua sponte exsiccatur: postea, alia tabula ejusmodi ei ita aptanda, ut binæ virus interjectum complectantur; quæ tunc folio stanneo, aut vesica

bovilla madida, arcte cingendæ, quo minus aëri aditus patescat. Quidam calamo virus includunt, hiatu cera obturato. Alii porro alias excogitarunt rationes; quarum omnium commune est aëra excludi. Conjiceo tamen escharam, sive crustam quæ tandem decidit optime conservari, cujus ope vacciniam inferamus. Vesicula enim puncta, habitu corporis malo, in ulcus fœdum interdum abit; unde virus idoneum nunquam detrahendum est. Crusta, quam prosequor, virus ipsum concretum esse videtur: quod si ita se habeat, solummodo opus est hanc siccam, aditu aëri denegato, habere; et quoties inserere velimus, partem ejus perexiguam aquæ gutta solutam admovere.

DE INOCULANDI RATIONE IDONEA.

Ex jam memoratis satis superque patet, virus vaccinum insitum nihil profuturum, nec variolæ diro impetui in futurum occursurum esse, nisi valetudinem afficiat; vel, uti alias eloquar, nisi cum omnibus humoribus circumeuntibus

ita misceatur, ut argentum vivum apud eos, quibus, ejus præparatis sumptis, os saliva scatet, et gingivæ tument, dolentque. Fieri enim potest, ut morbus partis solius proprius hoc virus sincerum, et rite servatum arte inoculatum sequatur; quo facto, vesicula vaccina vera nascetur, nec vero corpus variolæ contagi genitrici impune objicitur. Fieri etiam potest, ut virus non sincerum admotum vesiculam spuriam, non vaccinam, progignat: id quod aliquanto pejus est. Summi itaque interest, imprimis ut intelligatur, quibus notis insigniatur vesicula vaccina: deinde (quod ad corpus ipsum, cui contingat) quo pacto cognoscamus, virusne totum hominem, an id membrum unice quod acceperit, inficiat. Nec ullus dubito, quin complures æquo minoris eo vacciniam æstimaverint, quod hasce res gravissimas prætermiserint, aut nesciverint. Nôsse oportet corpus humanum non semper huic aliive viro sorbendo, aptum vel habile esse: morbum porro aliquem acutum, noxamve irritantem, jam agentem potissimum ineptum reddere. Si igitur dentitio nunc infantem turbat et exasperat, si qua de causa cutis

efflorescit, febricula adest, acorve, vermes et similia meatum alimenti gravant; expectandum erit, dum hæc mala conquieverint, prius quam inoculemus. Hinc etiam constat, virus vaccinum fere tutius et utilius inseri, ætate jam tenerrima; ubi nondum signa dentitionis propria apparuerint.

Proximum est, ut de viri admovendi modo optimo quædam proferam. Virus sic conservatum, ut supra præcipimus, aqua gutta commixtum attenuari debet; tum cuti instillandum est pauxillum; quæ dein scalpello leniter pungenda, pluribus incisuris perexiguis factis, donec sanguis profluat. Postea pars non detergenda est. Quidam hance rationem potius sequuntur; apicem scalpelli vero instruunt: quo glutinoso et pene desiccato, cutem octavam partem pollicis alte transfigunt: tunc retinent scalpellum aliquamdiu; et inter subducendum, eum cuti fortiter obtrudunt, ita ut virus totum inseratur, et scalpello sejungatur.

Permagni refert, ut vesiculæ progressum studio intento prosequamur, die circiter quarto aut quinto, macula parva rubra observatur:

quam digito contrectatam percipimus esse duram. Vesicula exinde ampliari pergit, et triduo exacto, marginem sibi præfert rotundam definitum; media pars concava est, et crusta exigua obducitur; quæ centrum partibus subjectis adnectere videtur: quanto minus vesiculæ margo rubeat et induresсat hucusque, tanto certius indicatur ipsam esse sinceram et vere vaccinam. Die circiter decimo, aut paulo serius, vesicula magnitudinem summam attingere solet: crusta media, de qua retuli, amplificatur; margo perquam turget, et e plurimis sacculis exilibus laticem pellucidum continentibus conficitur, hunc partes circumjectæ multum inflammationis præ se ferunt; hæc undique pertinet modo semipollicem, modo pollicem, aut sesquipollicem linea media partis rubræ patente. Prope ad vesiculam rubor saturior est, cui accedunt tensio et durities. Eodem tempore glandes axillæ indurantur et intumescunt Die circiter decimo tertio, aut decimo quarto, inflammatio et durities, quæ vesiculam circundant, inclinantur, aut abeunt: flavedo quædam luri-

da eas excipit, et vesicula in crustam duram et scabram convertitur.

Laus perinsignis Bryceo debetur; quippe qui notas satis claras ostenderit, quarum auxilio judicemus, necne valetudinem virus insitum infecerit. Quantum ipse usu didici, ea quæ huc pertinentia ille auctor eximius literis mandaverit, prorsus accipienda sunt. Anno MDCCCXVII, ubi variola grassaretur Alloæ creberrima, nemo omnino eorum, qui vacciniam ita illatam et curatam, ut Bryceus præceperit, subierunt, in istam pestem incidit. Nec ullus dubito, quin vaccinia iis legibus et præceptis sedulo servatis, minime sæpe spem medici falleret. Quo cognoscatur, necne virus totum corpus permeaverit, medici interdum die quinto post virus initio insitum iterum alii parti idem inserunt; iterumque die octavo. Si id quod principio inseverant valetudinem infecerit, duæ alteræ vesiculæ eodem tempore, quo prima, maturantur cursu earum admodum expedito. Actio scilicet propria, quam prima vesicula corpori intulerit, progressum reliquarum celerat. Nemo fere variolæ objectus ea ægrotat, si hoc experimentum

feliciter subierit; nisi qui, ob corporis proprietatem, vaccinia non excitata bis terve variola plexus fuisset: id quod subinde accidit neque nihili habenda areola et margo durior, unde valetudinem inquinari statuere liceat.

DE ERRORIBUS QUIBUSDAM QUOD AD VACCINIÆ ACTIONEM.

Quidam nuperi vacciniam variolæ præcavendæ semper vel sæpius potentem esse denegarunt: nec affirmare dubitarunt, illam, etiamsi hanc arceat, alia mala vix minus terribilia procreare; scilicet, omnes fere morbos strumæ cognatos, Rachitidem, Hydrocephalum, &c. crebriores evenisse, ex quo vaccinia pene variolam fugaverit: quinetiam, rubeolam, scarlatinam, aliosque acutos morbos, quibus cutis efflorescit, multo frequentiorem necem nunc, quam olim inferre: quod ad culpam priorem, quam nonnulli vacciniæ tribuerent, eam nempe haud raro inutiliter excitare; scire licet longe plures eorum, qui virus vaccinum inserere consuerunt,

notas valetudinis ab ea inquinatæ prorsus nescire; et variolam procul dubio subsequi posse, nisi virus jam dictum omnes humores circumeuntes permeaverit. Quum igitur perraro artifices, quorum est apud vulgus inoculare, aut satis periti sint aut seduli, ut probe et penitus totum corpus tabo vaccino imbuant, medicus doctior non mirabitur, vacciniam spem interdum fallere: nec vero ideo eam aut abjiciet, aut minoris æstimabit. Quicunque autem ingenia humana studio acri prosecutus fuerit, ex facili intelliget eos imperitos artifices, quo minus inscitiæ arguantur, voce clara vacciniam vituperare: optime enim noverunt, aut ipsos imperitiæ aut vaccinium inertiæ, interrogandum esse. Mihi videtur ab his variolæ examplis quæ ipse Alloæ, anno MDCCCVII, conspexi vacciniam aut variolam præcavere, aut id malum longe minus terribilem reddere. Quo tempore decem tantummodo, quibus prius vaccinia illata fuerat, in variolam inciderunt, et hi omnes quam minime eo malo exerciti sunt, at contra nonnulli qui vacciniam non subierant, extincti fuerunt. Valde equidem lugendum vulgus, præ causis pro-

positis aut hoc eximium tutamen minoris æquo habere; aut etiam perniciosam et nocituram, potius, quam adjuturam vacciniam nimis sæpe existimare.

Quod ad alterum vitium, nimirum vacciniam efficere, ut cutis aliis quibusdam ejus malis sæpius et vehementius efflorescat, ei obviam ire, aut rite et clare ejus auctoribus respondere, aliquanto difficilius est: ista enim opinio rationibus vix aut comprobandis, aut refellendis nititur. Quanquam pathologia humorum jamdudum corruerit, multi tamen perhibent corporibus humanis inesse aliquid acre et nocivum, quod variolæ est foris ejicere: vacciniam hunc tetrum morbum eo præcavere, quod actioni id acre et nocivum excreturæ occurrit: et exinde apud hodiernos rubeolam et scarlatinam pejores et magis exitiosas esse factas. Hæc opinio neque, ut conjicio hucusque probari, neque prorsus falsa statui potest. Medici esse videtur eam assidue abnegare et rejicere: luctuosior enim morbus, quam variola, vix concipiendus est: quicquid igitur eam aut minuit, aut sedat, aut

fugat, sine dubio ab omnibus, qui generi humano benefacere velint, amplectendum est; nec prius contemnendum aut prætermittendum, quam usus demum plane edocuerit, mala variola deteriora ab eo oriri.

Satis superque patet, ex vacciniæ historia, et experientia hodierna et præterita, morbos neque novos illatos fuisse, nec prius cognitos increbruisse, aut acerbiores accidisse, ex quo medici inoculare cœperint. Haud sane ignoro multos strumam quæsitiorem huic tribuisse causæ: injurià tamen, quantum adhuc compertum sit.

Denique, res est, certe haud levissimi momenti, et memoria dignissima, omnes medicos doctiores et scientiores, qui animos intentos ad Vacciniam appulerint, profiteri, se usu tandem diuturno didicisse, virus vaccinum rite et legitime corpori humano admotum, sicut per totum id despergatur, et valetudinem afficiat, semper, (nisi proprietas corporis rarissima vetet) Variolæ obviam ituram, aut saltem, ut supera dixi, eam multo mitiorem esse redditurum: ideoque medicorum esse, inter hanc partem officii exse-

quendam, circumspicere, et notas diligenter ab ipso initio ad finem usque, observare et perscrutari; ne dedecus iniquum vacciniæ inferant, variolamque, truculentam et crudelem pestem, jam tantum non debellatam, reducant.

FINIS.